

De edendis Iani Pannonii operibus
quae supersunt omnibus

Commentatio,

quam

scripsit

LADISLAUS JUHÁSZ
doctor philosophiae

Excudebat Iosephus Koroknay, Szeged

Quinque annis post iam centum anni et semisaeculum praeferebant, ex quo ultima editio operum Iani Pannonii in lucem prodierat. Quae editio Telekiana ea tempestate maxime praestantissima et eximia iure dici potest, quae de causa tam multum temporis fieri potuit necessitate editionis novae non urgente. Editor editionis memoratae omnibus philologorum rationibus utebatur adiungens etiam annotationes criticas.

Omnino non multa opera Iani nostri ab eo tempore reperiebantur, quae ei ignota fuerant. Inventi sunt autem permulti codices, qui nobis imprimis maximo adiumento sunt, ut iam nunc quam excolitissimus necnon maxime genuinus poeta evadat. Nunc enim duce atque auspice Amplissimo Domino Doctore Iosepho Huszti Professore Universitatis Szegedinensis et Magistro meo omnibus codicibus atque iis editionibus, quarum codices iam perierunt, respectis et quam copiosissimis introductionibus adhibitis longe accuratissima editio nova brevi in lucem prodibit iisdem rationibus edenda, quibus scriptorum antiqui aevi in lucem prodeunt.

Nos Hungaros exterae orbis terrarum gentes nationesque hanc editionem poscunt flagitantque. Nos Hungari soli sumus, qui huius editionis onus laboremque suscipere debemus, nam nos Hungari soli percipere possumus mentem animumque Iani Pannonii, qui suo tempore non solum in Hungaria, verum etiam toto terrae orbe poeta excellentissimus esse iudicabatur.

Et cum nos permultum temporis trivissemus studentis codicibus opera Iani nostri continentibus permultas Italiae urbium bibliothecas huius editionis gratia adeantes et scripsissemus Quaestiones de epigrammatibus et Commentationem ad elegias edendas, supervacaneum esse non putavimus, si pauca verba faciemus de edendis Iani Pannonii operibus quae supersunt omnibus. In hoc igitur opusculo breviter adumbrare volumus, quibus modis rationibusque respiciendis hanc editionem novam in lucem ediputemus arbitremurque.

Scribebam Szegedini in Hungaria, a MCMXXIX. die 25. mensis Novembris.

L. J.

De editione.

Editio ipsa in quinque partes dividi potest:

- I. Introductio,
- II. Textus operum Iani Pannonii quae supersunt omnium,
- III. Appendix,
- IV. De prosodia Iani Pannonii,
- V. Index nominum.

I. Introductio.

Introductio in quinque partibus tractatur:

1. De vita operibusque Iani Pannonii. In qua parte breviter adumbranda est vita poetae et opera sunt enumeranda.

2. De codicibus et editionibus opera Iani Pannonii continentibus. Quae pars codices et editiones in quattuor partes divisa explicabit.

a) Omnes codices describuntur et historia eorum commemorabitur, qui ad nostram aetatem remanserunt.

b) Memorantur editiones, quarum editores nunc iam deperditis codicibus utebantur. Quae igitur editiones codicum loco sunt habendae. Quibus conferendis nobis maxima cura est habenda, nam haud facile diiudicari potest, utrum editor mutaverit sive emendaverit textum, cum edidisset, an in codice inventae sint lectiones, quas nunc in editione videremus. Maximo nobis adiumento sunt in his statuendis constitutae affinitates, quibus inventis iam suspicari possu-

c) Editiones sunt enumerandae, quae prioribus editionibus, necnon iis codicibus nituntur, qui ad nostram aetatem remanserunt.

d) Codices quoque deperditi commemorandi sunt, de quibus nos ab iis sunt certiores facti, qui illos vidissent.

3. De affinitatibus codicum et collectionibus operum singulorum Iani Pannonii. In hac parte Introductionis affinitates, quae inter codices et editiones codicum loco habendas exstent, explicandae sunt. Quibus inventis et constitutis iam habemus amissim, secundum quam suspicari possumus antiquissimas et fortasse ab ipso poeta collectas collectiones. Quae collectiones vetustissimae nobis adiumento sunt, cum ordinem statuere in singulis operibus volumus.

4. De scripturis codicum. In hac parte explicandae sunt scripturae vocabulorum, quae saepe alio quoque modo in codicibus scribuntur, immo etiam in eodem codice aliter scribuntur. Nobis hoc loco eligendae sunt scripturae in

V. mus, qui loci ab editore sunt mutati.

codicibus saepissime usurpatae, ut molem variantium lectionum hoc modo minuere possimus. Exempli gratia: caeterum, pene, coniico, toties, inclutus, sylva, intelligere; quamquam, extat etc. Solis u et V litteris uti in textu debemus.

5. Variantes lectiones. Quas nos in duas partes dividere debemus, et quidem in hac parte editionis eas lectiones congerendas esse putamus, quae imprimis ad scripturas vocabulorum et non magni momenti lectiones et vitiose scripta vocabula attinent. Ceteras variantes lectiones sub textu collocandas esse puto, quae a textu differentes imprimis ad intelligendum maximo usui nobis esse possunt. — Variantibus lectionibus praemittendae sunt signaturae codicum, in quibus singula opera inveniuntur. — In hac parte variantium lectionum sunt memorandae in codice inventae correctiones, secundae et tertiae manus, necnon notae marginales.

II. Textus operum Iani Pannonii omnium.

Haec pars in quattuor partes dividitur, quarum prima continet opera Iani nostri; altera commentarios, quos verisimile est ab ipso Iano Pannonio esse inscriptos in codice, quem Ficinus nostro poetae dono dedit et qui inscribitur Commentarius in Platonis Convivium de Amore; in tertia collocantur epistolae iussu Mathiae regis scriptae, quae Iani esse putantur; in quarta parte ponenda sunt opera, quae falso sint poetae nostro attributa.

Sub textu, prout necesse esse videtur, animadversiones ad textum attinentes in tres partes divisas ponimus. Et quidem prima pars amplectitur testimonia e scriptoribus Latinis hausta, qui maximum effectum vimque ad nostrum poetam exercebant. Secunda pars commentarios ad carmina ab ipso poeta correctae attinentes continet. Habemus enim nonnulla epigrammata, quae a Iano retractata videntur. Quae epigrammata retractata esse a nobis putantur in editione Telekiana lib. ep. I. ep. 52. et 236.; praeterea Panegyricum ad Guarinum Veronensem scriptum bis correctum certum habemus. Dominus Doctor Iosephus Huszli ter retractatum esse suspicatur. Elegiam in editione Samuelis Teleki in libro II. 16. significatam ab ipso Iano Pannonio correctam esse verisimile est. Item a poeta correctum esse putamus Epithalamium ad Franciscum Barbarum scriptum. Sub textu pars tertia variantes lectiones complectitur, quae magni momenti sunt ad textum intelligendum, nam ceteras lectiones in Introductione poni optimum esse putamus.

1. Opera Iani Pannonii.

Haud parvi momenti esse videtur, quo in ordine pos-

sint ordinari singula opera Iani Pannonii. Comes Samuel Teleki opera eius in duas partes divisit et quidem in prima collocavit primum sex longiora carmina, deinde elegias, postremo epigrammata, in altera autem primum libros interpretatos, deinde orationes, postremo epistolas. In nova editione in hoc ordine opera Iani edi nullo modo possunt. In longioribus carminis collocavit Teleki partem ex Iliadis libro VI. interpretatam, quam nos in interpretationibus inscribemus, deinde inveniuntur in his longioribus carminibus panegyrici et Eranemos. Nos longioribus carminibus inseremus etiam panegyricum in Renatum scriptum ab Eugenio Abel primum editum et epithalamium ad Franciscum Barbarum scriptum, quod primum Iosephus Koller, deinde Eugenius Abel prelo mandaverunt. Nos haec longiora carmina in tres partes secundum genera artis poeticae et carmina secundum ordinem temporum hoc modo aliud post aliud ponimus: Eranemos, panegyrici, epithalamium.

Multis causis respectis rationibusque consideratis singula genera operum Iani Pannonii in hoc ordine ordinari et edi optimum esse iudicamus: a) Epigrammata, b) elegiae, c) Eranemos, d) panegyrici, e) epithalamium, f) orationes, g) epistolae, h) interpretationes.

Videamus nunc singula genera operum et commemoremus, quae ad ea edenda animadvertenda esse putamus, quae lectiones ab editore sint mutatae.

a) Epigrammata.

Ideo iudicamus epigrammata in primo loco carminum omnium esse collocanda, quia iure dici possunt epigrammata primum esse a Iano scripta. Quod fortasse demonstrandum esse non oportere credimus, nam poeta noster, qui maxime mirabile ingenium et indolem ad epigrammata componenda habebat, se ipsum maxime idoneum aptumque esse minoribus carminibus scribendis sensit arbitratumque est. Ianus Pannonius alter Martialis renascentis aevi se dici et nominari voluit. Nam cum quis longiora carmina scribit, eum iam maiorem exercitationem habere in versus componendo coniecturam facere possumus. His et aliis quoque multis rebus adducti non longiora carmina, sed epigrammata in primo loco ponenda commendamus.

Nos ipsi operam dedimus in Quaestionibus,¹ quo in ordine possent ordinari epigrammata. Secundum ordinem temporum edendo quam accuratissime labor suscipi non potest. Neque in eo ordine edi possunt, quo Sambucus usus codicem nunc iam deperdito², quo Teleki usus codice Vindobonensi³, neque ordo accipi potest, qui in codice Vaticano⁴ invenitur.

In epigrammatibus ordinandis fundamento collectiones quam vetustissimas esse ponendas arbitramur, equibus inventis aliquid certi habemus, quae minores collectiones sint fortasse ab ipso Iano Pannonio collectae. Nam poetam nostrum ipsum epigrammata sua colligentem non iniuria credere possumus.

Eugenius Ábel edidit in *Analectis* nonnulla epigrammata, quae ad id tempus in lucem non prodierant. In his invenitur epigramma quoddam,⁵ quod editor suspicabatur Iani Pannonii esse. Nos epigramma clausulis claudi commendavimus.⁶ Et certe! — non multo post in codice quodam Brixiano⁷ idem epigramma repperimus a Iohanne Antonio Romano scriptum. Hoc modo 461 epigrammata Iani Pannonii habemus.

b) Elegiae.

Post epigrammata elegiae sunt ponendae, nam Ianus noster hoc genus artis poeticae iam puero scribere coepit. Quia Ianus modo post annum, ut credimus, 1451. aggressus est componere longiora carmina Eranemum scribendo, ea de causa ante longiora carmina collocandas esse elegias credimus.

Elegiis inserimus carmina, quae in distichis sunt scripta. Eug. Ábel sex elegias primum in lucem protulit.

Nuper scripsimus et edidimus *Commentationem*⁸ de edendis elegiis, in qua ordinem quoque secundum ordinem temporum constituere experiebamur. Iani esse 37 elegiae dicuntur. Teleki elegiam ad Bartholomaeum Fontium scriptam falso a Sambuco attributam Iano Pannonio constituit, immo eam Angeli Politiani iure dixit. Aliam elegiam, quae *Consultatio Dei Patris et Filii* etc. inscribitur, suspectam esse dixit, suspicionem nos satis probabilem et iustum esse credentes elegiam Iano Pannonio abiudicavimus. Professor autem meus, Dominus Doctor Iosephus Huszti legens *Commentationem* nostram nobis persuasit eam elegiam Iani Pannonii esse habentem stilum et compositionem poetae nostro haud alienam necnon usitatam. Hanc itaque elegiam Iani esse nunc declarantes elegias 36 habemus.

c) Eranemos.

Longiorum carminum primus Eranemos esse scriptus Iani esse nunc declarantes elegias 36 habemus. tur Desiderius Pais.⁹ Omnes panegyrici et epithalamium ad Franciscum Barbarum scriptum post hunc annum esse composita putantur.

d) Panegyrici.

Quinque panegyricos a Iano compositos habemus, quorum unus primum in *Analectis* Eugenii Ábel prelo est mandatus, id est in Renatum scriptus. Qui panegyrici nullo

modo possunt in eo ordine edi, quo Samuel Teleki. Ordine temporum panegyrici in hoc ordine ordinari possunt. 1. Carmen pro pacanda Italia ad imperatorem Caesarem Fridericum. III. 2. Panegyricus in Renatum. 3. Carmen ad Ludovicum Gonzagam principem Mantuanum. 4. Panegyricus ad Iacobum Antonium Marcellum Venetum. 5. Silva panegyrica ad Guarinum Veronensem praeceptorem suum.

e) Epithalamium.

Post panegyricos est ponendum Epithalamium ad Franciscum Barbarum scriptum, quod primum Iosephus Koller,¹⁰ deinde Abel¹¹ ediderunt. Epithalamio praemissa dedicatio una cum Epithalamio est edenda.

* * *

Post carmina Iani Pannonii cetera opera in hoc ordine aliud post aliud poni commendamus: orationes, epistolae, interpretationes. Quem ordinem non secundum ordinem temporum, qui in singulis generibus operum appareat, contui, sed secundum genera operum aliud post aliud collocari optimum esse credimus.

f) Orationes.

Teleki tres orationes Iani Pannonii edidit, quarum autem secunda in duas partes dividenda est, uti Abel¹² demonstrat. Habemus igitur quattuor orationes, quae in eo ordine possunt alia post aliam edendae, uti in editione Telekiana reperimus. Notare autem debemus suspicionem Eugenii Abel, qui dixit a nobis quartam signatam orationem retractatam esse ex oratione a nobis tertiam numerata, id est secundum eius hypothesim sive tertia, sive quarta oratio in clausulis claudenda est, quod autem nos accipere non possumus.

g) Epistolae.

Samuel Teleki 22 epistolas edidit, quarum tres ultimas a Sambuco repertas et primum editas non Iani Pannonii esse iudicavit. Quarum 22 epistolarum prima et secunda et tertia dedicationes sunt interpretationum, quas poeta ad Marcum Aurelium et Galeottum Martium scripsit, et quidem duas ad M. Aurelium e Graeco in Latinum vertens duo moralia Plutarchi et ad Galeottum praemissam interpretationi ex Iliadis libro VI. Quas tres epistolas nos non epistolis inseredas, sed interpretationibus praemittendas esse optamus commendamusque. Eugenius Abel epistolam edidit. Habemus igitur tres et viginti epistolas, quae Iani esse nobis traditae sunt. Samueli Teleki suspectarum trium epistolarum ultimam Thilbaldeo poetae Ferrariensi scriptam non Iani Pannonii esse certum est. Quam epistolam

nos operibus spuriiis inserimus. Nullum documentum habemus alias duas epistolas non a Iano esse scriptas demonstrandi. Epistolae 22 in ordine temporum sunt ordinandae ad finem reiectis epistolis, quae annis carent.

h) Interpretationes.

Sex interpretationes Iani Pannonii esse putantur, quarum tres sunt ex moralibus Plutarchi traductae, duae sunt orationes Demosthenis, praeterea pars quaedam ex Iliadis libro VI. Latinis versibus reddita. Duos libros Plutarchi et orationem Demosthenis et partem interpretatam ex Iliade invenimus in editione Telekiana, quam ultimam editor longioribus carminibus inseruit. Tertium librum Plutarchi primum Eugenius Abel edidit. Tertia oratio Demosthenis De corona adhuc inedita est, quam nos descripsimus, cum duobus annis ante Vindobonae¹³ codicibus studentis operam dedissemus. Iidem nos scripsimus dissertationem inauguralem, in qua de Iano interprete disseruimus.¹⁴ Hanc orationem non a Iano Pannonio esse versam demonstrare conabamur¹⁵ et, quia Dominus Doctor Aurelius Förster Professor Universitat's Szegedinensis secundum documenta nostra dixit interpretatam orationem plane non Iani esse, ideo hanc interpretationem non interpretationibus inserendam, sed in operibus spuriiis collocandam optimum esse ducimus. Quattuor dedicationes interpretationibus praemittendas esse commendamus. Quas dedicationes interpretationibus praemissas non epistolis esse inserendas, sed interpretationibus praemittendas esse commendamus. Quae dedicationes tribus moralibus Plutarchi et partim ex Iliadis libro VI. interpretatae praescibebantur. Interpretationes quinque secundum ordinem temporum sunt ordinandae, et quidem: 1. Plutarchi libellus: Quibus modis ab inimicis iuvrai possumus. (1456.) 2. Plutarchi libellus: De negotiositate (1457.) 3. Oratio Demosthenis contra regem Philippum. (1461.)¹⁶ 4. Diomedis et Glauci congressus. Locus ex Homeri Iliadis Z a v. 119. sqq. (1461.)¹⁷ 5. Plutarchi de dictis regum et imperatorum liber. (1467.)

2. Commentarii in libro Marsilii Ficini inscripti.

Marsilius Ficinus a. 1469. Iano Pannonio dono dedit librum, qui Commentarius in Convivium Platonis de Amore inscribitur. Codex Vindobonae invenitur¹⁸ multis commentariis inscriptis, qui Iani esse a nobis putantur. Qui commentarii quoque adiectis locis, quibus ascribebantur commentarii, in editione nova operum Iani Pannonii omnium edendi sunt.

3. Epistolae iussu Mathiae regis scriptae.

In Bibliotheca Hedervariensi servatur codex, qui episto-

las Mathiae regis continent. Guilelmus Fraknói erat primus, qui in hoc codice a Iano nostro iussu Mathiae regis scriptas epistolas esse dixit.¹⁹ Nos igitur permultum laboris adhibere debemus his epistolis studendis et eligendae sunt epistolae, quas a Iano Pannonio esse scriptas arbitramur.

4. Opera falso attributa Iano Pannonio (spuria).

In hac parte editionis novae haec opera falso attributa Iano Pannonio sunt edenda: 1. Epitaphium Uladislai regis Hungariae.²⁰ 2. Carmen sive epigramma in Epiphaniam scripta.²¹ 3. Elegia ad Bartholomaeum Fontium scripta.²² 4. Epistola ad Thibaldeum poetam. 5. Oratio traslata Demosthenis, quae inscribitur De corona. — Carmen ad Nicolaum V. de Homero traducendo scriptum edendum supervacaneum esse putamus. — Item non edenda esse putamus carmina in codice Vindobonensi lat. 11735. inventa et Iano attributa carmina. (V. Abel o. c. p. 27.)

III. De Appendice.

In Appendice nos opera ad Ianum Pannonium scripta colligenda esse commendamus. Et quidem: epigramma Aeneae Silvii,²² Guarini Veronensis,²³ Porcelii,²⁴ Tribrahi,²⁵ Roberti Ursi,²⁶ duo Sagundinei,²⁷ tres elegiae T. Vespasiani Strozzae,²⁸ quattuor Baptistae Guarini,²⁹ unum Galeotti Martii,³⁰ Francisci Duranti³¹, Roberti Ursi³²; epistola Baptistae Guarini³³; dedicatio Georgii Trapezuntii,³⁴ Marsilii Ficini³⁵; epitaphium Iani a Baptista Guarino scriptum.³⁶

IV. De prosodia Iani Pannonii.

In hac editionis de prosodia Iani Pannonii sunt nobis pauca dicenda.

V. Index nominum.

Index nominum, quae in operibus Iani Pannonii omnibus apparent, fini editionis est adiciendus.

Annotationes.

- ¹ Quaestiones criticae de epigrammatibus Iani Pannonii, Roma 1929.
pp. 20—22.
- ² O. c. p. 6.
- ³ Vind. lat. 3247.
- ⁴ Vat. lat. 2847.
- ⁵ Epigramma invenitur in pag. 121., cuius initium est: Barbarus...
- ⁶ Quaestiones etc. p. 24.
- ⁷ C. V. 10.
- ⁸ Commentatio critica ad edendas Iani Pannonii elegias. Szeged, 1929.
- ⁹ Janus Pannonius Eranemusa és a latin klasszikusok. Egyetemes
Philologiai Közlöny 1910. pp. 760—776.
- ¹⁰ In opere, quae Historia Episcopatus Quinqueecclesiarum inscribitur,
- ¹¹ In Anallectis pp. 108—119.
- ¹² Analecta, pp. 85—88.
- ¹³ Codex orationem fraductam continens signatur: Vind. lat. 3186.
- ¹⁴ De Iano Pannonio interprete Graecorum. Szegedini, 1928.
- ¹⁵ Ibidem pp. 36—38.
- ¹⁶ Hoc anno hanc orationem transversam esse arbitramur.
- ¹⁷ De anno nos Dominus Doctor Iosephus Huszti certiores fecit.
- ¹⁸ Vind. lat. 2472. (V. Eug. Ábel: Analecta etc. p. 26.)
- ¹⁹ Fraknói: Mátyás király levelei II. pp. XX—XXV.
- ²⁰ Teleki Iani Pannonii Poemata I. pp. 689—91.
- ²¹ Teleki op. c. I. p. 658—60.
- ²² Teleki o. c. I. p. 636.
- ²³ Teleki o. c. I. p. 650.
- ²⁴ Teleki o. c. I. p. 653.
- ²⁵ Ábel o. c. p. 120.
- ²⁶ Ábel o. c. p. 152.
- ²⁷ Ábel o. c. pp. 100—1.; 102—3.
- ²⁸ Teleki o. c. I. pp. 373—5.; 377—8.; 391—411.
- ²⁹ Teleki o. c. pp. 661—71. et Ábel o. c. pp. 146—50.
- ³⁰ Ábel o. c. pp. 144—5.
- ³¹ Ábel o. c. pp. 145—6.
- ³² Ábel o. c. pp. 150—2.
- ³³ Ábel o. c. pp. 212—5.
- ³⁴ Ábel o. c. pp. 201—2.
- ³⁵ Ábel o. c. pp. 202—3.
- ³⁶ Teleki o. c. p. 671. 7